

mus de deo. Non species ipsa quia non immediate cognoscitur ut dictum est ergo est ipse deus. Minor adhuc patet sicut de re absente cuius cognitio non terminatur ad speciem alias potentia sensitiva reflectetur supra seipsam quando scilicet per fantasiam cognoscimus aliquid absens tunc enim actus fantasie terminaretur ad speciem que est in fantasia et sic reflectetur supra. Forte dicitur quod hoc non est inconueniens de sensu interiori quia vis estimatiua in nobis potest apprehendere montem aureum ergo potest apprehendere seipsam unde dictum est quod visus potest videre se in speculo et sensus potest supra seipsam reflecti. Sed de his satis dictum est supra. Et similiter ad argumentum principale quia cognitio quidditatis vocatur cognitio perfecta et propria non autem cognitio ipsius esse. Nec est verum quod omne conceptum sub ente perfecte intelligatur quia cogitationes cordium non intelliguntur nisi a solo deo naturaliter licet propter hoc argumentum scilicet dicunt oppositum cognoscunt tamen angeli habent nos. s. t. de veri. q. 8. ar. 13. ad. 8m.

**Ad. 2.** dicitur quod vno modo suppositum et essentia in angelo differunt: alias videtur quod in angelo non esset species quia oportet quod indiuiduum aliquid includat ultra speciem. Si ergo ibi est indiuiduum et species sequitur quod suppositum aliquo modo differt a natura. sed de his dictum est in de ente et essentia. Ad aliud dicitur quod lumen solis non est frustra sed non videatur ab oculo noctue.

**Ad. 3.** dicitur quod anima separata ex sua natura non cognoscit perfecte distincte angelos licet perfecte cognoscat aliam animam. s. t. 1. p. q. 89. ar. 2. potest tamen naturaliter angelos videre s. t. de ve. q. 19. ar. 1. Nec tamen sequitur quod hoc modo nunc cognoscat aliam animam quia propter alium modum esse habet alium modum operandi unde cognoscere per species istas naturaliter consequitur modum existendi anime separate. Si dicatur. Poterit distinguere per obiecta et si anima separata potest aliquid perfecte intelligere quod nunc non potest sequitur quod habeat aliam potentiam. Item loquimur de anima unita beatitudini corpori. Et quod est obiectum. Si dicatur quod quidditas rei materialis non potest clare intelligere deum. Forte dicitur quod quidditas rei materialis non est obiectum cuiuslibet intellectus hominis nisi talis homo sit in statu isto sine corruptione. Contra tamen quidditas materialis non est obiectum naturale adeo in statu in corruptione. Forte dicitur quod anima unita corpori potest videre deum quia eleuat per lumen glorie. Contra nullus habet potestatem eleuare potestatem ad illud ad quod transcendit obiectum naturale eius. Alias rediret opinio philosophorum quod possent dicere quod in hac vita per substantiam separatam possunt eleuari ad videndum angelos. Ad. 1. dicitur negando primam. Est enim idem visus specie noctue et hominis et tamen oculus noctue non potest videre lumen solis nisi fortificaretur. Ad aliud negatur illa maxima.

**Ad. 4.** quartum dicitur quod deus non perfecte et immediate et distincte intelligitur a nobis quia intelligimus per fantasmatam modo nichil potest distincte intelligi nisi pertineat in illo per quod intelligitur essentialiter et virtualiter et perfecte. Sed sic deus in nullo continetur quia quodcumque obiectum si moueat ad aliquam noticiam tunc secundum virtutem virtutis sue motiue mouet ad propriam et perfectam noticiam sui tanquam ad effectum sibi proportionatum ergo non potest mouere ad noticiam simpliciter perfectiore quam est noticia de deo quia tunc effectus excerneret causam. Sed contra intellectus agens sicut cum fantasmatam est aliquid nobiliter et distincta noticia dei ergo potest eam care. Item cognoscens distincte imaginem potest distincte cognoscere imaginem trinitatis que est in homine ergo potest distincte cognoscere re trinitatem naturam realiter minor patet quia relatio imaginis continetur sub ente et subiectum imaginis potest a nobis perfecte cognosci ergo relatio imaginis que necessario sequitur naturam hominis intellectualiter et per istud probaretur quod saltem angelus naturaliter sciret trinitatem maxime si videret ex suis naturalibus visionem beatificam alterius angeli. Item secundum hanc rationem probaretur quod nullomodo cognoscimus deum quod est falsum quia contradicendo infidelibus non contradicimus eis in omnibus sed in precepto dei conuenimus contradicendo. Patet sequela quero per quam spiritum elicitor conceptus quem habemus deo. Si dicatur quod per fantasma vel speciem creature. Contra vtriusque istorum est imperfectius cognitione dei ideo aliquid dicitur quod conceptum de deo hic formamus sicut ovis apprehendit inimicitiam lupi quam tamen non sentit vel per creaturas formamus quosdam conceptus vniuersales qui simul iuncti soli deo conueniunt sicut sunt summum et bonum. Sed preter conceptum plexum habentur aliquid incomplexum proprium deo ut dictum est quia intelligendo summum bonum oportet preintelligere aliquid quasi subiectum cui intelligo illud quasi proprietatem in esse. Nota quod noticia nostra de deo est nobilior aliis ut patet ex obiecto. s. t. de ve. 10. ar. 7. ad. 3. et q. 2. ar. 9. dicitur quod cognoscere equum est habere conceptum quod per omnia rei respondet.

**Ad. 5.** dico quod hoc debet inducere philosophum ad sperandum aliam vitam post istam. Ad aliud dicitur quod difficultissimum est intelligere separata secundum suam naturam quia ipsorum non est fantasma. Nec alicuius effectus ipsis proportionati. Nec motus est proportionatus sic quod sit nobilissima eius operatio. Et per hoc patet ad. 6. et ad. 7. quia per solum effectum proportionatum potest cognosci quid ipsius cause.

**Ad. 6.** aliquando negatio est notior ut patet diffinitione puncti. Sed contra. Dis negatio fundatur in affirmatione. Item vel negatio concipitur ut dicitur de alio quo vel ut dicitur de nichilo si. 2. tunc per illam negationem non magis intelligeretur deus quam chimera que est non lapis. si primum tunc queritur de illo conceptu subtracto de quo dicitur ista negatio. Forte dicitur quod de deo habemus conceptum affirmatiuum quo cognoscimus veritatem propositionis tamen. Contra propositio non cognoscitur nisi cognitis extremis. ideo dicatur ut supra et nego quod quo ad nos prius aliquid cognoscatur in se et in habitudine ad alterum nisi ad hunc sensum quod intellectus intelligit quod res prius sit aliquid in se et habeat habitudinem ad alterum. Sed dubitatur an beatus propter claram visionem quam habet de deo possit naturaliter formare vnum alium actum intellectus immediate terminatum ad trinitatem vel ad suum actum beatificum quod distincte representat eum videtur quod sic et sic per supposito aliquo supernaturali possit reflexe distincte deus cognoscit quantum ad aliquid an viatorum possit deus conferre distinctam noticiam abstractiuam sui de potentia absoluta. Et an de deo possit sciri a priori aliquod predicatum sed de hoc alias.

**Ad. 7.** hic loquimur de quid rei distincte.

**Ad. 8.** patet ex pri. phi. Ad aliud non est simile quod dei voluntate non est illa conformitas quam dicit veritas que est in intellectu.

**Ad. 9.** Maior est vera de cognoscere simplex quantum ad quid.

**Ad. 10.** dicitur quod illa non est operatio humana sed ma-